FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

FRANCISCI ERNESTI BRÜCKMANNI
MED. DOCT. ETC.

EPISTOLA ITINERARIA VIIma
DE

FIGVRATIS ET ALIIS QVIBVSDAM CVRIOSIS LAPIDIBVS
IN

ELECTORATV HANNOVERANO
OBVIIS

AD

VIRVM CLARISSIMVM, AMPLISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM DOM.

DOM. ALBERTVM RITTER,
REGII PHRONTISTERII ILFELDIACI AD FAVCES HERCINIÆ COLLEGAM,
PRÆCEPTOREM QVONDAM FIDELISSIMVM
NVNC
AMICVM CARISSIMVM ET OMNI HONORE PROSEQVENDVM.

WOLFFENBÜTTELÆ.
ANNO CHRISTI M DCC XXIX.

VIR CLARISSIME ATQVE DOCTISSIME, FAVTOR ET AMICE INTEGERRIME!

OMnem, quam possumus, Tibi remittimus gratiarum actionem pro curiosis figuratis lapidibus & Alabastritis varii coloris æque ac variegatis minerisque metallicis, quibus regio Ilfeldensis & vicina Northusana, Stollbergensis, Hohensteinensis abundant, quorum nos participes & quibus museolum nostrum metallicum locupletius & auctius reddere non detrectaveris; cumque simul nobis aurem vellicaveris, ut sub finem superioris anni inceptas epistolas itinerarias continuaremus, petitis Tuis satisfacere non recusabimus. Ante aliquot annos lapicidinas va-

rias, aliaque loca, in quibus lapides figuris peculiaribus insigniti inveniendi dicebantur, in Electoratu Hannoverano plus vice simplici visitavimus, nuncque de iis observata nostra tunc temporis facta Tecum communicare constituimus. Haud procul urbe Hannovera in luco opaco & delicatissimo conspicitur castellum Ill. Comitis de Platen, Lindenum dictum, cui ad latus dextrum lapicidinarum longa lataque series, in quibus partim murarii lapides pro ædificiis exstruendis, partim calcarii pro conficienda calce nunquam non exscinduntur & effodiuntur. Cum his simul in variis subterraneis stratis protractum vidimus Selenitem rhomboidalem, sic dictum, quia hic geometricus lapis, vel in minima & vix visibilia fragmenta confractus, retineat tamen figuram quandam rhomboidalem. Colorem monstrat duplicem, unum splendentem pellucidum instar glaciei Mariæ, ad cujus familiam unanimi lithologorum consensu pertinet, alterum lacteum obscurum nec pellucidum. Ustione in gypsum bonæ notæ convertendus est hic lapis; gaudet quoque quibusdam venis luteis pulverulentis instar Ochræ, quæ terrestris materia digitis facile in pollinem luteum abit, & pictoribus forsan usum præstare posset, si hanc ochram colligere, lavare & ab adhærentibus quisquiliis arenosis purgare vellent. Sunt & strata lapicidinæ, in quibus invenimus lapides Judaicos, cochleas marinas tortiles majores petrifactas, vulgo Strombitas, haud vulgari modo intortas, figurâ conoidea oblonga gracili, cinerei coloris; parvos cochlitas quorum quidam vix acus globulum pondere & magnitudine superabant, gryſei, brunni & lutei coloris; lapides Lyncis minores sed vulgares, &c. Fortuna quoque secunda in manus dedit lapidis calcarii frustrum optime signatis radiatis & copioso numero conspiciendis asteriis aspersum. Pone viridarium Regium Hernhusanum, quod gratissima amœnitate & magnificentia splendidissima totius Europæ miraculum dici mereretur, inter lapides, arenas, sabulum & terram, quæ

ex

ex canalibus pro aqua ad machinas hydraulicas ducendâ magnis ſumptibus factis effoſſa & ejecta, obſervavimus plures lapides Lyncis minores, & in diffractis lapidibus corneis corallia marina varii generis petrifacta, aſterias radiatas pentagonas elegantiſſimas, echinitas, & particulas teſtarum echinorum dilaceratas. Inveniuntur & lapides læves politi figurâ ovali, rotunda, tri- & multangulari, aliâque mathematica, qui omnes & ſinguli originem ſuam debent luſui, fortiori motui, triturationi, girationi & alluvioni aquarum, quibus lapides poliuntur, lævigantur, deteruntur, triturantur & in figuram quandam geometricam coguntur. Relatum habemus ripas non modo Leinæ, fluminis Hannoveram & Hernhuſum præterlabentis, Belemnitis ad aliquot milliaria repletas eſſe, ſed & ruſticos in diverſis agris eos copioſe vomere exſcindere ſolere, qui poſtremi intus cavitatem ſuam conicam materia alba cretacea repletam haberent. In aliis locis prope Hannoveram exarant echinos petrifactos, pileatos, rotundos, ſed aculeis ſpoliatos, coloris albi, cretâ parum duriores, diverſæ magnitudinis, Hut- oder Mützen-Steine; hi à ſuperſtitioſa ruſtica gente in uſum trahuntur, quando nempe vaccæ, loco lactis, ſanguinem ex uberibus mulgent, lapides pulveriſati non ſine felici effectu iisdem exhibentur; ſuturis, ſulcis & ad baſin diffuſis lineis non ſunt ornati hi echini foſſiles, ſed ſuperficies tota tantum, infra & ſupra, punctulis & peltis, abſque oculo armato vix conſpicuis, notata, quæ peltæ nihil aliud ſunt, quam veſtigia radiorum echini, quibus nempe quondum cum animalculum viveret, aculei implantati exſtitêre. Lapides quoque bufonios ſeu Echinos foſſiles pileatos & rotundos ex præfectura Iltenſi (aus der Amts-Voigtey Ilten) dono accepimus, in quibus quinque geminati linearum ordines à vertice ſummo ad baſin æquali fere intervallo ſeſe diffundunt, ſpatia intermedia punctata ſunt, totum corpus cruſta lapidea tenui inductum & tectum, maſſa autem interna ex materia mere mar-

gaceâ constat. Tribus Hannovera milliaribus distat oppidulum Neostadium ad Leinam, vulgo, Neustadt am Rübenberg dictum, hic loci ad ripam fluminis Leinæ omnis generis lapidum figuratorum farrago copiosa colligenda; adest stratum lutosum & argillaceum ex nigro-cinereum tenax, in quo ostreæ petrifactæ nigræ majores latent, adsunt massæ ex istis conglutinatæ xx. xxx. & plurium librarum. Adest stratum, in quo ab aqua alluente politi, lævigati & perforati visuntur lapides argillacei, foramina excavata sunt oblonga & rotunda, ac si ab insecto quodam perterebrata essent. Adest stratum, in quo peculiares lapides ex meris parvis pyramidibus constantes, unius basis alterius apici semper firmiter agglutinata, plures tales erectæ & inversæ pyramides hoc concretum lapideum sistunt. Hinc inde cum lithophylis hujus mirandi lapidis frusta communicavimus, latet autem adhuc omnes, quid sit? sunt equidem, qui putant, esse balanos marinos in lapidem conversos; sunt &, qui lignum olim fuisse & petrifactum, ein gegen die Axe zu fibrirter Splitterholtz-Stein / existimant; sunt autem meræ conjecturæ, quæ ad lapidem hunc non quadrant. Ad pagum Gremshusen in Abbatia Gandersiensi idem lapidis genus reperiundum, non distans ab hoc nisi solo colore livido, qui in Neostadiensi albus est. Adest terræ stratum, in quo globuli cani non adeo duri, his per medium confractis in apricum venit corpus quoddam rude, informe & quod cognosci nequit, eleganter splendentibus nigris squamis, piscium instar, exornatum. In alio strato reperiuntur renes lapidei oblongi & crassi, brunni coloris, qui longitudinaliter scissi integrum gammarum marinum cum crusta, chelis & pedibus optime exhibent. Hos renes ipsimet præsentes non observavimus, ex liberalissima tamen donatione Excell. D. Hugonis, Archiatri Regii consultissimi, tria istorum exemplaria in museolo nostro possidemus, qui ista

An-

Anno 1728. nobiscum benevole communicavit, simulque perscripsit, nullo non anno Neostadii nova ad Leinam strata novis figuratis lapidibus antea non visis ibidem referta, quando nempe fortiores aquarum impetus & inundationes priscas avellerent & eluerent ripas, provenire. Adest stratum magnum & longe ad flumen protensum, in quo conchæ minores bivalves læves innumero numero colligendæ, partim testâ orbatæ, partim testâ gaudentes, hacque iterum albâ, nigrâ, luteâ instar terræ ochræ, brunna, ruffa & variegata, qualis videnda in conchis marinis ad littora Hollandiæ vulgo an den Schevelinger Muscheln; partim adhuc in matrice hærentes, partim sunt conquassatæ & testam confractam exhibent. Harum tanta copia prostat, ut plaustra iisdem onerari possent. Adest stratum, in quo elegantissimi turbinitæ, partim in matrice, partim extra hanc, quorum icones videndi in Thesauri nostri subterran. Ducat. Brunsvic. Part I. Cap. XXIV. pag. 124. Tab. XXIV. Fig. I. II. III. sunt frusta lapidea ex meris ejusmodi majoris & minoris familiæ turbinitis concreta; sunt & lapides fissiles cinerei non admodum duri argillacei, qui in interstitiis suis turbinitas minimos albissimos, absque oculo armato vix conspicuos, elegantissimos tamen monstrant & exhibent. Adest stratum, in quo Cornua Ammonis spiris in se convolutis & intortis ad instar Cornu Arietini leguntur. Adest insula in flumine Leina non admodum magna ad latus dextrum pontis oppiduli Neostadii sita, quæ ex meris ferme petrifactis echinorum marinorum radiis, quos vulgo Belemnitas vocant, coacta & concreta. Per pagum Marienhagen, qui duobus Hannoverâ distat milliaribus, rivulus transit, hic quando post diluvia examinatur, præbet elegantissima Cornua Ammonis minora & lævia, lineis destituta & aspera superficie prædita, tuberculata & verrucosa, armatura orichalcea, ob quam rustica gens putat aurum esse. Ante aliquot annos Pastor istius loci, Reverend.


D. Ho-

D. Hogreven, quoddam raræ magnitudinis ibi ad modo dictum rivum eruit, quod craſſitie duorum digitorum, circumferentia Imperialis erat, quodque adhuc in beati defuncti & ſumme venerabilis viri Abbatis Schmidii collectione rerum naturalium & artificialium Helmſtadii ab hæredibus
TAB. I. aſſervatur. Iconiſmum hujus Cornu habe in appoſita tabula ænea. Interdum & parvæ conchulæ, cochleæ minores & turbinitæ exilis metalliſatæ cum Ammonis cornubus effodiuntur & eluuntur. Omnia hæc foſſilia Mariæhagiana ex pyrite (gelben Kies) conſtant, cujus & fruſta varia absque notabili figura hic loci effoſſa vidimus. In campis autem hujus & vicinorum pagorum à ruſticis cochleæ majores
TAB. II. petrifactæ, quarum icones hic Tab. II. vides, aratro exſcinduntur & à curioſis colliguntur; durities iis eſt admodum firma, materia calcaria; nunquam non extra matricem ſolutæ jacent, figura & magnitudo non ſemper eadem, uti ex adjectis quatuor earum ſpeciminibus videndum. Plura adhuc addere poſſemus de aliis in terris Hannoveranis repertis & reperiundis petrifactis, ſed epiſtola, nobis non cogitantibus, ita increvit, ut abrumpere, ne Tibi tædium creemus, coacti ſimus. Vale reliquum feliciter & nos amare perge, qui ex animo Tibi favemus.

Wolffenb. d. 2. April. 1729.

Ep: It: VII.




Fig. I.
Ep: Tl: VII b
II
III.
IV.